

Zb.<sup>x</sup> 47.

613237

25.

DE

TAVNO MONTE

CVIVS TACITVS ANNAL. LIB. I. ET XII

MENTIONEM FECIT,

DISPVSTAT,

SIMVLQVE AD PAEDAGOGII SOLEMNIA

D. XVII. ET XVIII. MART. MDCCLXXXVIII.

CELEBRANDA,

PATRONOS AC FAVTORES LITTERARVM,

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA

INVITAT

FRIDERICVS WILHELMVS DANIEL SNELL,


PAED. ACAD. GIESS. COLLEGA,



---

Gieffae

EX OFFICINA BRAVNIANA.





**E** libris veterum, de rebus historicis atque geographicis agentium, perspicuum est, iam multos Germaniae montes notos illis fuisse. Siluosam omnino & montuosam eam terram esse, nemo eorum nesciuit. Sic Pomponius Mela lib. III. cap. 3. de Germania loquens, *terra ipsa, inquit, multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, Et magna ex parte siluis ac paludibus inuita.* Simili modo Tacitus patriam nostram in libro de situ & moribus Germanorum cap. 5. describit: *terra, etsi aliquando specie differt, in uniuersum tamen aut siluis horrida, aut paludibus foeda, humilior, qua Gallias, verticofior, qua Noricum aut Pannoniam adspicit.*

Vt quibusdam tantum exemplis ostendam, Germaniae montes veteribus haud ignotos fuisse, primum nonnulla de montibus Hercyniis loca, continuo iugo ab Rheno vsque ad Poloniae confinia extensis, proponere mihi liceat. Plinius lib. IV. cap. 14. annes, ait, *clari in oceanum defluunt, Guttolus, Visulus sive Vistula, Albis, Visurgis, Amisus, Rhenu,*



nus, Mosa. *Introrsum vero nulli inferius nobilitate Hercynium iugum practenditur.* Sic etiam Aristoteles *μετεωρολογικων* lib. I, cap. 13: nec non Diodorus Siculus lib. V, Apollonius *ἀστροναυτικων* lib. IV. saltum Hercynium nominant.

De monte Abnoba Tacitus in lib. de Germania loquitur: *Danubius molli & clementer edito montis Abnobae iugo effusus.* Conf. Plin. lib. IV. cap. 12. Ptolem. de Germania aliosque. — De Alpibus lege Strab. lib. IV. & Ptolemaeum. — Idem de Meliboco, de Suditis ac Sarmaticis montibus & multis aliis disputat.

Pomponius Mela lib. III. cap. 3. dicit: *montium altissimi Taunus & Rhetico, nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano.* Et Tacitus duobus locis de Tauno monte commemorat. Cum iste inter praeclaros patriae nostrae montes numerandus, & ex Ortelii, Cluverii, Cellarii aliorumque sententia, qui monumentorum vetustatis studiosissimi & peritissimi existimandi (\*), in Cattorum finibus situs sit: hac occasione data in istis Taciti de monte Tauno locis explicandis industria adhibebimus atque ostendemus, quam bene illius de nostra regione descriptio veritati congruat, quantoque errore illi capiantur, qui Taunum alibi, quam ex aduerso Moguntiaci quaerendum esse opinantur.

Primum igitur verba Taciti ex anal. lib. I. cap. 56. afferamus, e quorum nexu aliisque argumentis apparebit, quem montem autor noster hoc nomine intelligi voluerit. *Germanicus, ait, quatuor legiones, quinque auxilium millia & tumultuarias cateruas Germanorum cis Rhenum colentium*

Cae.

(\*) Vid. *Viri cel. H. B. Wenk Hessische Landesgesch. P. I. pag. 12.*

*Caecinae tradit: totidem legiones, duplicem foeiorum numerum ipse ducit, positoque castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno (\*), expeditum exercitum in Cattos rapit; L. Apronio ad munitiones viarum & fluminum relicto. Nam (rarum illi coelo) siccitate & annibus modicis, inoffensum iter properauerat; imbresque & fluminum auctus regredienti metuebantur. [metuebatur Bipont.] Sed Cattis adeo improuisus aduenit, ut, quod imbecillum aetate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit. Iuuentus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem coeptantis arcebant: dein tormentis sagittisque pulsus, tentatis frustra conditionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui, omiſſis pagis vicisque, in siluas disperguntur. Caesar, incenso Mattio, (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum.*

Alterum de Tauno locum ex lib. XII. annal. cap. 27, etiam adferendum esse puto, quo prior rectius explicari possit. Iisdem temporibus in superiore Germania irrepdatum, aduentu Cottorum, atrocissima agitantium. Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangionas ac Nemetas, addito equite alario monuit, ut anteirent populatores, vel dilapsis improuisi circumfunderentur. Et secuta consilium ducis industria militum: diuisique in duo agmina, qui laeuum iter petierant, recens reuersos, praedaeque per luxum vsos & somno graues, circumuenere. Aucta laetitia, quod quosdam e clade Variana, quadragesimum post annum seruitio exemerant. At qui dextris & propioribus compendiis ierant, obuii hosti & aciem auso, plus cladis faciunt; & praeda famaque onusti, ad montem Taunum reuertuntur, ubi Pomponius cum legionibus operis-

A 3

(\*) Alii Tauro, sed male. Vid. ed. Bipont.

6

❖————❖

periebatur, s; Catti, cupidine ulciscendi, easum pugnas  
praerent.

Romani, Gallia in ditionem redacta, cum Germaniae populis sibi rem esse existimarunt. Notatu dignissimum fuit bellum, a Druso Catts illatum (Dio Cassius lib. LIV, cap. 36. & LV. 1.): multa castella, alia ad populos inimicos coercendos, alia ad illos, quos iam sibi parere coegerat, in officio retinendos, ipsorum in terris erexit. Ceteri quoque Romanorum Imperatores, Tiberius, Germanicus aliique Catts praecipue arma intulerunt. Secundam Germanici expeditionem Tacitus loco priori citato describit: illum, cum Catts bellum gesturum, Rhenum cum expedito exercitu transisse, in itinere autem praesidium, quod pater Drusus in monte Tauno olim posuerat, restituisse, Apronioque in eo tractu ad munitiones viarum & fluminum relicto, ne reditu impediretur, si forte imbribus flumina augerentur, ipsum Catts vsque ad flumen Adranam (cui hodie nomen *die Eder*) persecutum, illisque dispersis Mattium (*Marburg*) (\*) gentis caput incendisse, ac per aperta ad Rhenum regressum esse, memorat. — Ad situm huius montis recte definiendum, singulas ab autore nostro adlatas circumstantias & momenta accuratius consideranda esse existimo, quo facto cuique, locorum fatis gnaro, non vesisimile solum, sed, ni fallor, prope certum erit, Germanicum in Moguntino tractu, Rheno superato in montium iugo, quod vulgo hodie *die Hoeh* nominatur, & cuius radices haud procul ab istius fluminis ripis remotae sunt, praesidium posuisse. Cur hoc maxime iugum ad munimentum elegerit, causa in promptu est: nam eius dorsum, perpetuis siliis impeditum,

(\*) Vid. I. C. Speneri *Notitiam Germ. ant. lib. IV, cap. 3. Conf. I. A. Harsmanni Hist. Hess. P. I. pag. 10.*



7  
som, ad insidias sternendas inprimis fuit aptum; si forte eum  
Cattis male conflixisset, huc reuertenti, atque contra hostium  
incurfiones se defendenti nihil sibi periculi timendum fore con-  
fidere licebat. Hunc saltum (*die Hoche*) montem Taunum  
fuisse, vt multi rerum antiquarum peritissimi viri (\*), quamuis  
nonnullis contradicentibus, iudicarunt, sequentibus maxime  
argumentis firmari posse credo.

I. Germanicum a Rheno ad Adranam rectissimo itinere  
tendentem prope Moguntiacum ex Gallia in Germaniam trans-  
iisse, ex quibusdam mihi liquet causis. Nam in Cattorum re-  
giones profecturo nullibi transitus magis idoneus fuit. Ad  
quod accedebant exempla aliorum, qui ante ipsum Romanis  
exercitibus praefuerant, & hunc locum ad transcendendum ele-  
gerant. Certe praeter Moguntiacum, iam tum munitum, nul-  
lus locus Romanis, Catos inuasuris tutius refugium aduersis  
rebus praebere potuit.

Hunc tractum egressos recta via ad Waldeccensem comi-  
tatum,

- (\*) *Vir cel. M. I. Schmidt in der Geschichte der Deutschen T. I. c. 6.*  
dicit: als Drusus in offene Gegenden gekommen, verachtete er auch  
seiner Seits die Feinde, und ebe'er noch den deutschen Boden ver-  
lies, baure er seiner Gewohnheit nach zwey Castelle, eius an dem Zu-  
sammenstusse der Lippe und Lise (bey Lisborn), das andere in Hes-  
sen auf dem Gebirge Taunus (auf der sogenannten Hoebe bei Id-  
stein.) Conf. Acta philosophico - medica societatis academicae scientia-  
rum principalis Hassiacae, vbi V. cl. Baumer in disquis. de montis  
Tauni situ pag. 119. "Veteres, ait, Germani regionem montosam  
"praecalam (eine Hoebe) vocabulo Taun denotabant, ex quo, annexa  
"serminatione latina, vox Taunus facile orta fuit."

❖ ————— ❖

tatum, quem Adrana permanat, per montem supra nominatum omnium huius regionis montium altissimum ducebat. Quid vetat nos credere, hunc Taunum fuisse, & ibi castellum Romanorum fuisse, cum nostris adhuc temporibus multa in illis regionibus bellicosissimae huius gentis vestigia inueniantur? Complures inscriptiones notatu dignissimas, (ex quibus nonnullas viri antiquitatis studiosi typis exseribendas curarunt (\*)) certissime docentes, Romanos illis locis saepe commoratos esse, his & circumiacentibus terris repertas, satis notum est. Praeterea memorabilis istius fossae, vulgari nomine *der Pohlgraben* dictae, vestigia adhuc ostendunt, eam a Rheni ripa, haud procul ab vrbe *Braubach*, per montium iuga, quae *die Hoche* nominantur, a militibus Romanis ductam esse. (\*\*) Quae quaquam non Germanici tempore, sed sequentibus demum saeculis facta esse videtur; documento tamen esse potest, quam vehementer Romanorum interfuert, vt Moguntiae tractum, totamque regionem trans Rhenum, quae ad hos montes vergit, possiderent.

Ex his intelligitur, quam inepta eorum sit opinio, qui Taunum in solo cisrhenano, vbi hodie *der Donnersberg*, quaerendum esse affirmant (\*\*\*) Cur Germanicus, Catos petiturus,

(\*) *Winkelmann Hessische Chronik P. II. cap. 2. & 3 Conf. viri doctissimi I. A. Ritzbaub Nachrichten von der Stadt Idstein pag. 10.*

(\*\*) *I. A. Bernbard Alterthümer der Wetterau. lib. I. cap. 7. V. cl. Wenk Hess. Landesgesch. I. c. G. F. Teutborn Geschichte der Hessen T. I. p. 299. Cel. Baumer I. c. pag. 118. se ipsam huius fossae vestigia plurimis in locis oculis illustratum esse testatur.*

(\*\*\*) *Marquardi Freheri Historischer Bericht von der Wetterau &c.*



rus, praesidium in monte *Donnersberg* poneret? Cur *L. Pomponius* (Tac. XII.) aduersus *Cattos* latrocinantes bellum parans, retro in *Galliam* cederet, vt *hostes* in eo monte, qui longe adhuc a *Rheno* diffitus est, expectaret, illosque a fluminis transitu prohiberet?

II. Ex situ castelli a *Drufo*, posteaque a filio eius exstructi, secundum petimus argumentum. *Drusum* praeter alia praesidia, quae in *Germania* posuit, vnum apud ipsum *Rhenum* in *Cattis* struxisse, *Dio Cassius* lib. LIV. testatur. *Νικηθέντες γὰρ ἐκ τῆς ἐκ ἐθ' ὁμοίως ἰθραυνοῦτο, ἀλλὰ μὲν σφας παρελυπεν, ἔγγυς δὲ εἰ προσήσαν. Ὡς δὲ τὸν Δρῦσον ἀντικαταφρανήσαντα αὐτῶν, ἔκλιτε ἢ ὁ τε Δαπίας καὶ ὁ Ἐλισίων συμμαχούνται Φερίων τι σφισιν ἐπιτεχίσαι, καὶ ἕτερον ἐν χαττοῖς παρ' αὐτῶ τῶ Ῥηνῶ. (id est: Victi inde *hostes*, haud aequè ac antea cominus congregi audebant; sed *eminus* tantum infestauere. Vnde factum, vt *Druusus*, vicissim iis contentis, castellum contra eos ad *Luppiae* *Elifonisque* confluentes, aliudque in *Cattis* apud ipsum *Rhenum* exstrueret.)*

Cum igitur *Dio* vnum tantum castellum a *Drufo* hac in regione haud procul a *Rheno* erectum memorat, idem esse videtur, quod *Germanicus* in *Tauno* reperit atque refecit, (\*) *Taunumque* ipsum aut hic, aut nullibi quaerendum esse arbitror.


Nonnulli *Geographorum* *Taunum* eum montem esse mant, qui prope *Gießen* iacet, *der Dünsberg* vulgo nominatus. (\*\*). Non inficiandum quidem est, hoc vocabulum a

B

Tau-

(\*) *Schmidt Gefch. der Deutschen* l. c. *Wenk* l. c.

(\*\*) *Christ. Inker Anleitung zur mittlern Geographie*, pag. 180. *Ayer-*  
mann



Tauno forsitan deriuari posse, (quanquam nominum similitudines raro tantum pro idoneis argumentis haberi possunt): sed Dionis narratio, qua castellum ad Rhenum ponit, hanc opinionem valde suspectam reddit. — Praeterea hic mons minime inter altissimos Hassiae montes referendus, quinimo prae isto *die Hoche* modicus tantum collis putandus est. — Denique Tacitus, *posito*, inquit, *castello Germanicum exercitum in Cattos rapuisse*: ille autem mons in medio Cattorum situs est, quamobrem Romani cum ante bellum nullo modo occupare potuerunt.

III. Magni quoque momenti est Taciti de aruis inter Rhenum & Adranam iacentibus descriptio. Germanicum, arce in Tauno posita atque bello in Cattos decreto, cum castra moueret, L. Apronium cum militum manu ibi manere iussit. Fortasse priorum bellorum descriptionibus certior factus fuit, Romanos isto agro iam antehac aliquoties in angustias adductos fuisse. Tacitus quidem, *rarum*, inquit, *illi coelo siccitate & annibus modicis inoffensum iter properauerat, imbresque & fluminum auctus regredienti metuebantur*. Itaque Germanicum, Apronio relicto, vias reficiendas perque munitiones ab inundationibus tuendas curasse tradit. — Ex his verbis nouum argumentum colligimus, eum per istum tractum, cui hodie nomen *die Wetterau* imponitur, iter ingressum esse. Nemo huius regionis gnarus nescit, quot & quantis redundationibus, praesertim tempestate pluuiosa per aliquot menses durante, ea sit obnoxia. Solum molle atque paludosum est, quod riuis & annibus euagatis atque stagnantibus certe exercitui difficillimum iter

*manni differt. de montis Tauni vero in Hassia situ, pag. 16. I. A. Bernhard Alterth. der Wetterau l. II, cap. 10. Mogen scillimentu ad differt. Agermann. Teusborn l. c. pag. 366.*

iter praebet. Haec incommoda olim sine dubio maiora, quam nostra aetate, fuere, multis paludibus interea exsiccatas, multisque siluis, quae impediabant, quo minus humores terrae solis aestu siccarentur, excisis. Tacitus in lib. de Germania cap. 2. illam *informem terris, asperam coelo, tristem cultu adspectaque* & cap. 5. *siluis horridam & paludibus foedam* appellans, idem confirmat. Sane igitur Germanici providentia, qua vias muniendas curavit, ne exercitus in itinere retardaretur, admodum necessaria fuit. Cum vero prius castellum in monte Tauno aedificasset, quam per Wetterauiam tenderet, nusquam nisi in monte, Wetterauiam a Moguntino tractu separante, castellum extitisse, illumque Tannum fuisse, existimo.

IV. Narratio Taciti de reditu Romani exercitus sententiae meae non minus est consentanea. Cattis, ut ille narrat, usque ad flumen Adranam profligatis, cum quidam ad Romanos perfugissent, reliqui autem in silvas dispersi essent, reuertens victor Germanicus, Martium venit, quod tunc Cattorum caput erat, ex quo etiam pars Cattorum nomen Mattiacorum accepit. (Sed de his infra disseremus.) Hoc oppido flammis deleto ad Rheni ripas per aperta regressus est. Ptolemaeus quoque lib. II. cap. 11. Mattiacum memorat, eodemque situ collocat, ubi nunc Hassorum oppidum Marburg. Ceterum Cluverius in lib. III. cap. 7. de Germ. ant. ex nomine Mattium sequenti tempore Marburg ortum esse, ostendere conatus est, his usus verbis: *Mattium nunc esse Hassorum Marburg* vel ipsum nomen satis ostendere puto: quippe cum vicus is gentis esset caput, particula burg sine purg, (quae locum septum munitumque significat) antiquo vocabulo Mat addita, factum est nomen Matburg, ex quo posteri emollito ac liquefacto



T fecerunt Marburg. Haec Clunerus. — Id igitur oppidum fuisse videtur, quod Germanicus per Cattorum regionem reuertens incendit, ab vrbe saltem eorum, quanquam ipsis subigendis minus par fuerat, poenam sumturus. Aperram regionem, quam postea reditu suo populatus est, eam planitiem fuisse, quae ab vrbe Marburg ad Moenum vsque extenditur, nullus dubito. Ad dextram huius apertissimi amoenissimique tractus, in quo vrbes *Gießen*, *Burbach*, *Friedberg* sitae sunt, montes communi nomine *die Hoehe* nominati, se extollunt, quos tunc temporis Tauni nomine a Romanis occupatos fuisse mea quidem sententia verisimillimum est.



Cum supra Mattiacorum gentis, quae totam nostram regionem incoluit, mentionem fecerim, non alienum a proposito meo videretur, de praetario isto populo nonnulla notata digna addere, finesque, vbi habitauerint, determinare.

Hunc populum Cattorum partem fuisse, e nomine oppidi Mattium; vt supra iam relatum, apparet. (\*) Ex hac ratione Tacitus cap. 29. l. de Germ. vbi de Battaui agit, de Mattiacis etiam adiungit mentionem. *Omnia harum gentium, inquit, virtute praecipue Battaui, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos & antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. Exempti oneribus & collationibus, & tantum in usum proelio-*  
rum

(\*) Chr. Ayermann Einl. zur Hessischen Hist. pag. 42.

rum sepositi, velut tela atque arma bellis reseruantur. Est in eodem obsequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, utraque veteres terminos imperii reuerentiam. Ita sede finibusque in sua ripa mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Battavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo & coelo acrius animantur. Hoc loco sermo de Mattiacis atque de Battavis ea de causa a Tacito coniunctus esse videtur, quia eadem gente orti, posteaque communem cum Romanis habuerunt societatem; minime vero ideo, quod contermini Taciti temporibus sibi inuicem fuerint, nisi forte Mattiacos quoque in Seelandia quaerendos esse putaueris. (\*) In Belgio vero eos non habitasse, compluribus e rationibus manifestum est. Nam primum verba Taciti, paulo ante allata, protulit ultra Rhenum & cet. satis superque ostendunt, Mattiacos in Seelandia frustra quaeri. Deinde idem ann. lib. XI. cap. 20. Curtium Rufum in agro Mattiaco specus, quaerendis venis argenti reclusisse narrat. (\*\*). Cum vero mirum credibile sit, quendam sanae mentis compotem in eas conitationes incidere posse, ut metalla inter lacus ac paludes quaerat, Mattiacos Battavorum vicinos non fuisse, certum est. Praeterea Plinius lib. XXXI. cap. 2. de fontibus Mattiacis trans Rhenum scribit, quos nemini in mentem veniet in Battavorum terram collocare. — Postremo Amnian. Marcellinus eosdem fontes memorans lib. XXIX. narrat: imperatorem Seuerum nauibus Rhenum iunxisse, atque contra Mattiacas aquas antegressum, regem Macrianum occidisse, inque eius locum Bucinobantibus, quae contra Moguntiacum gens est Alemanna, regem

B 3

(\*) *Althamerus in Tac. Germ.*

(\*\*) *Ester in Kuchenb. Anal. Hass. Coll. II. pag. 367. Ayermann Einl. zur Hess. Hist. pag. 52.*



regem Fraomarium ordinasse. Mattiacas autem aquas eadem esse, quae hodie in vrbe *Wiesbaden* inueniuntur, inter plerosque constat geographos; quinimo Bucinobantes, qui inter Mattiacos numerandi, ab ipsarum aquarum vocabulo (*Wiesbaden*) apud Romanos hoc detortum nomen habuisse, ex multorum sententia non ab omni verisimilitudine abhorret. (\*) Conf. Tac. hist. lib. IV. cap. 37. Haec considerantes haud dubitamus, quin Mattiacorum sedes vltra Rhenum ex aduerso Montiaci fuerint.

Mattiaci sedes propulforum Obiorum obfederunt, (\*\*) qui teste Caesare lib. IV. de B. G. inter Moenum, Rhenum, Lohnamque flumina, vbi hodie *die Wetterau*, habitantes, a Catti perpetuo tantopere premebantur, vt ab Augusto auxilium peterent, & ab eius genero M. Agrippa in Rheni citeriorem ripam ducerentur; vnde nomen Coloniae Agrippinensis. Vid. Strab. lib. IV. — Agros eorum relictos propulfores Catti, inprimisque ii, qui a Tacito aliisque Mattiacorum nomine vocantur, occuparunt. Post societatem cum Romanis initam fortitan nomen mutauerunt, cum antea communi nomine Cattorum appellarentur.


Quae ex historiae veteris scriptoribus contulimus, satis probant, eam gentem totam Wetterauiam, Hassiaeque partem tum tenuisse, Taunumque montem in eius finibus exstitisse.

Prae-

(\*) Cluverius, Spener aliique.

(\*\*) Spener lib. IV. cap. 3.





Praeter Tacitum & Melam nullus quidem Romanorum scriptorum Tauni montis meminit: sed Amniani Marcellini quidam locus opinionem reddit verosimilem, etiam in sequentibus bellis, quae Romani cum Germanis gesserunt, castellum in hoc monte saepius restauratum atque munitum esse. Certe fitus in vertice praealti montis ad circumuagantes barbaros reprimendos valde idoneus fuit: (\*) quare probabile non videtur, Roma-

(\*) Winkelmann P. I. pag. 35. *„Es meldet auch Mela, daß Tannus und Rberico die höchsten Berge in Deutschland seyen, wie es dann nicht ohne, daß der Feldberg (von Tacito Tannus genannt) eine gewaltige Höhe hat, welche sich aus dem bloßen Ansehen fast Niemand einbilden kann; wosfern aber Jemand selbst von Cronenburg aus hinaufsteigen sollte, alsdann würde er sich nicht sarsam sowohl über die Höhe als auch über den wunderschönen Prospect verwundern können, wessen ich im Jahr 1649. wegen der steigen Höhe mehrheitlich zu Fuß sehr mühsam hinauf gehen müssen, und in der Höhe befunden bei hellem klarem Wetter, einen überaus schoenen Prospect gegen Frankfurt, Mainz, Oppenheim, Worms, Darmstadt, Hanau, in den Mayn und Rhein. Ich legte mich auf den darauf befindenen langen grossen Stein rücklings, da sah ich auf der einen*

Seiten






Romanos praesidium hoc summa opera structum reliquisse. Marcellinus lib. XVII. memoriae prodidit, Caesarem Iulianum ponte facto apud Moguntiam cum exercitu Rhenum transgressum, terras hostiles occupasse. Visis autem *per montium vertices* barbaris, alacriores milites ad celsiora duxisse, & nemine obstante munimentum, quod in Alemannorum solo conditum, Traianus suo nomine voluit appellari, dudum violentius oppugnatum, tumultuario studio reparandum curasse, ibique pro tempore defensores locasse. Quid igitur impedit, quo minus idem castellum hoc fuisse credamus, quod iam Drusus aedificauerat, idque per aliquot secula in Tauni vertice stetisse, & aliquoties restauratum esse. Nam post primam eius destructionem statim a Cattis dirutum est, quo facto Germanicus, cum Cattis conficturus, illud restituit, vt supra copiosius ostendimus. Bello Germanici finito vsque ad societatem Mattiacorum cum Romanis initam id incolome stetisse autumo: nullum enim bellum his temporibus ea in regione gestum est, & Pomponius ad huc

*Seiten in die schiefe ebene Wetterau, in die Obergrafschaft Casenellubogen, nach dem Malchenberg und dem Rhein, auf der andern Seiten in den Camberger und Limburger Grund, eine überaus grosse Lieblichkeit zu meiner größten Ergoetzung, indem man vermeinet, als ob Himmel und Erde in einer Cirkelründe wundersehoen in eins geformet und gebildet weren."*



adhuc post longum temporis spatium locum munitum & ab hostibus tutum ibidem reperit, vbi Catos, si forte aggredi ipsum auderent, opperiretur. — Sed postea id castellum iterum a transhenanis populis euersum esse, maxime credibile est, quia nec vllam de eo mentionem, nisi in Marcellini historia inuenimus, qui repetitam eius instaurationem a Traiano, ac denique a Iuliano Caesare refert. — Liceat mihi, coronidis loco V. doctiss. Baumeri nostri coniecturam adponere. (vid. l. c. pag. 119.) „In monte, qui dicitur *der Altkönig*, monti altissimo, „*dem Feldberg*, leuconotum versus, adiacente, maximus lapidum caesorum, hominum opera, non natura, illic congestorum numerus, & primo quidem rudera muri sine calce operata subitanea exstructi (*einer trockenen Mauer*) bis totum montem ambiunt, & occidentem versus, vel ad oppidum *Koenigsstein*, a muro inferiori duplex murus ad montis radicem vsque decurrit, qui praesidii introitum constituisse videtur. Et dein in montis cacumine castelli pari ratione structi, cisternaeque rudera in huius medio hodiernum conspiciuntur; quae praesidii atque castelli, supra vestigia illius positi, atque deinceps dirutorum, reliquiae esse videntur.„

Reliquum est, vt academiae Proceres, Fautores & Amicos, quicunque artibus liberalibus & lyceo nostro bene cupiunt, vt solemnia nostra paedagogica d. XVII & XVIII. Mart. celebrant.



branda, praesentia sua condecorare velint, ea, qua decet, ob-  
servantia rogem atque obsecrem.


Altero die, hor. II. pomeridiana ingenui quidam adole-  
scentes, quorum hic nomina sequunrur, orabunt.

E Classe I.

- 1) Theophil. Guilielm. *Oswald* Giff. pinget *sensa ani-  
mi adolescentis, discessum e schola parentis.*
- 2) Guilielm. *Wolff* Giff. recitabit *description d'une  
bataille.*
- 3) Io. Hermann. *Fech* Waldeccensis narrabit *das Le-  
ben Conradins Koenigs beider Sicilien.*
- 4) Io. Philipp. de *Hert* Darmstadin. referet *das Le-  
ben des deutschen Kaisers Henrichs des vierten.*

E Classe II.

- 1) Carol. Francisc. *Sues* Giff. *Cranmeri vitam com-  
memorabit.*
- 3) Guil,

- 
- 2) Guilielm. Christian. *Nebel* Giff. disputabit *von der Hofnung*.
  - 3) Carol. Ludou. Guilielm. *Grolmann* Giff. dicet *von den Zweikaempfen der alten Deutschen*.

## E Classe III.

- 1) Georg. Frider. *Schulz* Giff. praedicabit *das Lob des Fabricius*.
- 2) Io. Guilielm. *Fuber* Giff. declamabit *ein deutsches Gedicht, von einer erhabenen That eines Menschenfreunders*.
- 3) Carol. Ludou. de *Lersner* *Francofurtensis* *une ode sur l'existence de dieu* decantabit.

(Haec oda inuenitur in libro nuper edito a F. T. Chastel, *Introduction a la lecture des ouvrages en vers françois &c.* T. II. pag. 153.)





Mb. 538. 8

ULB Halle  
006 697 011

3




TA → OL

MD 18

M. C.







613239  
25.

DE  
TAVNO MONTE

CVIVS TACITVS ANNAL. LIB. I. ET XII.  
MENTIONEM FECIT,  
DISPVSTAT,  
SIMVLQVE AD PAEDAGOGII SOLEMNIA  
D. XVII. ET XVIII. MART. MDCCLXXXVIII.  
CELEBRANDA,  
PATRONOS AC FAVTORES LITTERARVM,  
EA, QVA DE CET, OBSERVANTIA  
INVITAT  
FRIDERICVS WILHELMVS DANIEL SNELL,  
PAED. ACAD. GIESS. COLLEGA,



---

Gießae  
EX OFFICINA BRAVNIANA.

